



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Approbatio Theologorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

Approbatio Theologorum.

EGO Andreas Hernandez professor Theologiae iussu Patris Stephani Paz Prouincialis huius prouinciae Peruanae Societatis Iesu, vidi ac perlegi hos libros quinque *De vita spirituali eiusque perfectione*, compositos à Patre Iacobo Aluarez de Pace ex eadem Societate Theologo, in quo nihil est à catholica fide, & pietate alienum: imò eos tam varia sanctorum lectione refertos videas, vt iis perlectis omnes legisse videaris. Nihil enim in hoc verè aureo opere ad religiosam perfectionem (qui est totius operis scopus) conducens praetermissum videtur, ex iis quae à sanctis Patribus, & spiritualis vitae magistris accepimus: & vt multa breuiter concludam, sapientissimè docet, & efficacissimè mouet, iucundissimè delectat, vt qui in eo legendo assiduus fuerit, nec assumpti laboris, nec insumpti temporis vnquam poeniteat. Quare dignissimum iudico quod imprimatur: & ad omnium perfectionis amatorum manus deueniat. Limae in Collegio D. Martini duodecimo Kalendas Aprilis, id est 21. die Martij.

ANDREAS HERNANDEZ.

EGO Ludouicus de Valdiuia iussu Patris Stephani Paz Prouincialis huius Peruanae Prouinciae qua potui diligentia perlegi hoc opus P. Didaci Aluarez Paz *De perfectione vitae spiritualis*, in quo miratus sum egregiam cum insigni pietate eruditionem coniunctam: Docet, mouet, delectat; nullus est ferè veterum Patrum, (eorum praecipue qui de rebus ad mysticam Theologiam spectantibus tractant) quem Author noster non euoluerit, cuius sententias non expenderit, ac verba examinauerit. Nihil lucubrationes istae habent, quod fidei aduersetur, quod pietatem non accendat plurimum. Quare ingentes mihi profectus, & fructus iis qui tantum hoc opus triuerint, promitto. Nam ea ratione docet, ac mouet, vt vacuum legentem non relinquat: atque ita docet, vt omnia ea quae sparsim variis editis libris, Theologiae huius sacratissimae Professores tradunt, hic vnus singulari methodo (quod in disciplinis omnibus maximum est) suis quaeque propriis distribuens locis, in vnā pietatis summam tribus contentam partibus redegerit. Vt iam hac in re amplius quod desiderari possit, non sit. Labor in mysticis, Diui Thomae labori in summa scholastica perquam simillimus. Quare dignum censeo opus hoc vt typis mandetur. In nostro Collegio Societatis Iesu Limensi Kalendas Maij anni 1607.

LVDOVICVS DE VALDIVIA.

HOS quinque libros, Patris Iacobi Aluarez, *De vita spirituali eiusque perfectione*, dignos arbitror, qui in lucem prodeant: eruditione enim & pietate sunt pleni: & lectori ad vitam rectè instituendam non parum afferent adiumenti. Limae 24. Martij 1607.

IOANNES DOMINGVEZ
Theologiae professor.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis Iesu in Prouincia Lugdunensi.

LVDOVICVS RICHEOMVS Prouincialis Collegiorum Societatis IESV, in Prouincia Lugdunensi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. & Henrico IV. nunc regnante 20. Decembris 1606. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos, absque Superiorum permissione imprimant: permittit Horatio Cardon Lugdunensi Bibliopola, vt librum qui inscribitur, *De vita spirituali eiusque perfectione libri quinque Auctore Iacobo de Paz Toletano è Societate IESV*, ad sed proximos annos imprimere, ac liberè diuendere possit. Datum Lugduni 16. Octobris, 1607.

RICHEOMVS.

Summa Priuilegij à Christianissimo Galliarum Rege obtenti.

HENRICI IV. Galliae & Navarrae Regis, Diplomate cautum est, ne quis in suo regno, alijsve locis ditioni suae subiectis, intra proximos annos decem, à die impressionis primae inchoandos, excudat, vendat, excudendum, vendendumque quouis modo, ac ratione conetur librum qui inscribitur, *De vita spirituali eiusque perfectione libri quinque Auctore Iacobo de Paz Toletano è Societate IESV*, praeter HORATIUM CARDON Bibliopolam Lugdunensem, aut illos quibus ipse concesserit: sub poenis Originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum Parisiis 30. Maij anno 1607.

De mandato Regis.

Signatum,

BERNARD.

ORATIO